



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 16. Responsum Cardinalium ad Optimates Franciæ missum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

spirituales modo, verum temporales e-  
 tiam, sed non sine circumscriptionibus, ut  
 ne in jura summorum Principum invola-  
 ret. Atque Rex Alphonsus in legibus  
 pro Castella conditis loquens de Papæ  
 facultate delendi vitium natalium solum  
 dicit hanc gratiam obtineri ad accipien-  
 dos Ordines ac beneficia.

Sæcul. XIV.  
 A. C. 1302.  
 C. Per vene-  
 rab. Qui fil.  
 S. leg.  
 Sup. Lib. 88.  
 C. II.  
 Par. I. tit. 5.  
 l. 5.

§. XVI.

*Responsum Cardinalium ad Optima-  
 tes Franciæ missum.*

Cardinales Procerum Galliæ Parisiis  
 præsentium epistolam nacti sic re-  
 spondebant: Papa & nos benevolentiam  
 & charitatem sinceram, quæ nostros an-  
 tecessores inter ac Regem Franciæ Phi-  
 lippum longo regnavit tempore, & fove-  
 mus libenter, & firmare magis magisque  
 conamur. Certe Papa nunquam scripsit  
 ad Regem, debere ipsum sibi regni tem-  
 poralia: & Nuncius Jacobus de Norman-  
 nis negat se quidquam tale unquam di-  
 xisse Regi. Itaque proposito, quam Pe-  
 trus Classius in præsentia Regis, Præsul-  
 lum, vestraque fecit, caret fundamento.  
 Hæc inficiatio est notatu digna: sed, an  
 sit candida, judicare lector potest. Lit-  
 teræ continuantur: Præsules ac Docto-  
 res tanquam viri Philippo neutiquam su-

*Differ. p. 63.*

Sæcul. XIV. specti, sed chari addictique vocati sunt  
 A. C. 1302. ad deliberandum, quid agendum esset?

Nihil est novi Summam Sedem  
 vocare concilia, seu peculiaria sunt, seu  
 generalia. Sed Papa sic colit ac ob-  
 servat Regem, ut omittat concilium  
 generale, cui forsitan interessent Præ-  
 sules nationum, ei parum faventium.  
 Sane si vobis rite exposita fuisset sum-  
 ma epistolæ per Nuncium porrectæ,  
 debuissetis gratias agere Deo & Papæ  
 pro paterna cura, qua felicitati Gal-  
 liæ, ac rerum indignarum correctioni  
 providet.

Si Papa oneravit Ecclesiam Gal-  
 lianam, id egit concedendo Regi decem  
 annos, & nominatum  
 ab eo Canonicum in quavis Ecclesia  
 cathedrali, collegialique, ut vocant, con-  
 stituendo. Dignitates, aliaque conse-  
 rens beneficia parem respectum habuit  
 ad Regem, Præsules, & quosdam ve-  
 strum. Denique Regi ac vobis sæpe  
 legis gratiam fecit, quæ vix agnosceret.  
 Præterea nemo prudens dubitat, quin  
 Papa ut caput Ecclesiæ in quolibet  
 homine vivo reprehendere noxam queat.  
 Cæterum non meminimus Papam com-  
 misisse Italis Ecclesias Franciæ cathedra-  
 lis præterquam Bituricensis, & Atror-  
 batinam, quibus præfecit viros mihi  
 me suspectos Regi, doctrinaque ac me-  
 ritis

ritis excellentes. Archiepiscopus Bituricensis erat Ægidius Romanus, cuius mentionem fecimus: Ecclesiæ Attrebatinæ præerat Gerardus Pigalottus, antehac Episcopus Anagniniensis, & postea Spoletinus.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1302.  
Sup. lib. 89.  
§. 45.  
Gall. Chr.  
to. 2. p. 217.  
Ital. Sæc.  
to. 1. p. 358.

Epistola porro sic sonat: Quisnam alius Papa longius extendit formam provisionum in gratiam Clericorum inopum ac per quosdam Præsules ad mendicitatem pæne redactorum? Quoties Papa contulit beneficia vacantia, vel vacatura, nonne illa obtinebant oriundi ex regno, ac domestici Regis, Præsulum, aut vestri? Demum, ut dicamus ingenue, nec decorum fuit, nec vobis licuit Papam Bonifacium non ex more vocare Patrem sanctum, sed circuitione quadam nova & parum reverente uti. Has litteras vobis rite ac fideliter exponi curate! Nempe plerique horum Procerum non sciebant Latine. Epistola data est 26 Jun. 1302.

§. XVII.

*Papa respondet Præsulibus Gallicæ.*

Etiam Papa respondit ad epistolam Præsulum, initio Ecclesiam Gallicam appellans filiam insanam, cuius verba inconsiderata Ecclesia Romana velut mater charitatis plena cum commiseratione sufferat.

Diff. p. 65.  
Hocsem.  
epist. Leod.  
c. 29.